

1606

gotio differunt. Ex omnium sententia Henrici & Caroli legati Pontificem adeunt; Gallus roget, instat, urget: pronuntiatum edictum abroget; tum locum tractationi fore: ni faciat, jam nihil amplius sibi, quid in ea re agat, superesse. Sabaudus Gallum subsecutus, eadem obnixe supplexque petit. At Paulus a Principibus se desertum acriter conqueritur: in ordinem Venetos redigere, eosque ad praestandum officium cogere oportuisse. Halincurtius, ut gravissima in re matura consultatione utatur, Pontifici suadet; Purpuratos singillatim accersat, sententiam exquirat; Clementem imitetur, quem in Henrici Galliarum Navarræque Regis causa idem fecisse constabat. Paulus, negotium exacte expensurum, vel privatim Cardinalium singulorum mentem exploraturum, vel rem omnem ad Collegium delaturum pollicetur. Inde Purpuratorum suffragia secretis alloquiis excipit. Horum quidam (ut ferebatur) edito intercedendum non esse censebant: alii ante amotionem satis Pontifici faciendum a Venetis arbitrabantur: pauci admodum intercedendum existimabant.

Ea sententiarum perplexitate anceps Paulus, cum ad Collegium referre statuisset, ecce ex Hispania Philippi literæ Villienæ Marchioni, legato, superveniunt. Is statim, tribus Hispanis Cardinalibus comitatus, ad Pontificem se confert; regias literas defert. Harum sententia erat: *Fam inde, hereditario veluti jure a majoribus tradito, in Sanctissimam illam Sedem obsequio permotum, in hisce cum Venetis dissidiis regna, vires, semetipsum denique, si occasio tulisset, terra marique Pontifici presto futurum polliceri: ut jussa exequerentur, in Italia ministris mandasse.* Perlectis literis, adeo ingenti gaudio, ut vix lachrimas cohiberet, Paulus perfunditur: *Tanti memoriam beneficij, sibi Apostoliceque Sedi collati, nunquam ex ejus animo elabi passurum; verba, ad pares meritis gratias babendas, non suppeteret; si cuncta quæ possidet, tribuerit, effuderit, ne minimam quidem tanti officii partem assegueturum.* Regis pietatem, religionem innumeris laudibus ac praœconiis effert. Villienius quoque Philippi pollicita extollit: *Ut Veneti ab eo veniam exposcant, effecturum; deinde jure rationeque disceptandi locum futurum; at in omnem eventum Regis patrocinium illi minime defuturum.* Hæc subinde petit,

*Philippus  
Hispanie  
Rex suas  
opes Ponti-  
fici defert.*

*Villienii,  
Hispani  
oratoris, pe-  
titiones.*